

de Forolivio, Albertinus de Officia, Iohannes Girardini, filius Petri de Ordellafo, Ugo Berardengi, et alii multi; de Chiesena, fuit Rialis et Agusellus; de castro Bretenori fuerunt Henricus de Mainardis, Ieremias de Polenta, Henricus de Gluito, et alii quam plures. Capti sunt autem ex omni populo ultra septingentos; interfecti fere centum. Ex parte siquidem Faventinorum interfecti sunt duo; captus nemo. Hoc autem anno compleverunt Ravennates fossatum quod jam inceperant; ejus auxilio plebem Sancti Stephani in Tugurio [a], Curtinam, Guthum [A] aliaque multa defenderunt loca.

De excidio Burgi in Sclavania [b].

CAP. LXX.

Sub anno incarnationis Domini MC septuagesimo primo, in Februario, Faventini, presentia et auxilio comitis Guidonis Guerræ freti, Forolivium equitaverunt, et hostiliter pugnantes burgum ceperunt Sclavanie, quod totum igne combusserunt; et si plus diei esset, ut publica fuit fama, civitatem profecto cepissent.

De prælio apud Sanctum Proculum [B] commisso.

CAP. LXXI.

Videntes autem Ravennates, quod omni pene destituti essent auxilio, et quod civitatem [c] Forolivii et Castrum Leonis plus a Faventinis nequibant defendere, tristes et anxii [d], die noctuque longissima ab imis pectoribus trahentes suspiria, quomodo Faventinos suis expoliarent amicis, et qualiter pondus, quod jam curvati plus deferre non poterant [e], cum aliis communicarent, non immerito cogitabant. Comitem igitur Guidonem Guerram per quosdam suos auriculares cupidos, ut Faventinos relinqueret [f], maxime ausi sunt muneribus tentare [g]; qui suorum more prædecessorum, Faventinos diligens, verbum iniquum etiam audire contempsit. Quare nuncii [h] a suis quam citius discederent finibus, magnam citatus in iram [i] præcepit. A tanto itaque principe Ravennates passi repulsam, Malevicinum [j] comitem Baguacaballi et Imolen-

[a] Stephani in Tugurio, C. V.; Stephani in tuguro, C. M. — [b] Burgi in Sclavania. Sic lego. Burgi in Sclavanie, C. M.; Burgi Sclavaniae, C. V. — [c] et quod civitatem, Codd. M. et A.; eoque civitatem, C. V. — [d] tristes et anxii. Sic ex C. V. lego. C. M. habet tristes et auxilii; ideoque cl. Mitt. addit inopes in sua lectione. — [e] plus deferre non poterant, C. M. Vitiose Codd. V. et A. habent: plus defendere non poterant. — [f] ut Faventinos relinqueret, Codd. M. et A.; ut Faventinorum relinquerent, C. V. — [g] tentare, C. V.; temptare, C. M. — [h] Quare nuncii, C. M.; quod nuncii, C. V. — [i] magnam citatus in iram, C. M.; magna concitatus ira, C. V. — [j] Malevicinum, C. M.; Malivicinum, C. V.

[A] Sanctus Stephanus in Tugurio erat plebs, sive ecclesia, quae nunc dicitur Guthum, sive Godo, a vico prope existente hujus nominis. In ejus vicinia reperitur Curtina, olim castrum ad Traversarios spectans, nunc locus in villa Guthi comprehensus. Sunt loca, quatuor aut quinque milliariis distantia ab urbe Ravenna, ex ea parte ubi erat Porta, quae antiquitus vocabatur Teguriensis, fortasse a flumine Teguriensi, ut putat cl. Gamba Ghisellus.

[B] Ecclesia ad pontem Sennii, in confinio territorii Faventini, prope Castrum Bononiense, in via publica quatuor hinc milliariis.